



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

M. Fabii Quintiliani Institutionum Oratoriarum Libri Duodecim

Summa diligentia ad fidem vetustissimorum codicum recogniti ac restituti

M. Fab. Quintiliani Declamationes Undeviginti. M. Fabii Avi Et Calpurnii
Flacci Declamationes. Auctoris Incerti Dialogus De causis corruptae
Eloquentiae - Cvm Variorum Notis

Quintilianus, Marcus Fabius

Lugd. Batav. ; Roterodami, 1665

CCCLXIV. Cinviciator pauper occisus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-12889

potuisse dissimulare suspicionem & sollicitudinem suam: itaque quia putaret aliquid ante cum sua uxore loquutum adulterum per vestiplicam, advocasse illam, & quasisse, num aliquid de adulterio sciret: illam respondisse, innocentem esse dominam, & ne notam quidem negotiatori: denique si dubitas, me uxoris tuae habitu mitte: videro, an possit discernere.

CCCLXIV.

Conviciator pauper occisus.

Pauper ad divitis domum nocte conviciari solebat. Quodam tempore, dives processit, & insanire eum dicens, decem servis imperavit, ut eum domum ducerent. Cum isdem occisus postero die inventus est. Dives cædis reus est.

S E R M O.

A parte divitis color ille introduci potest, ut dicatur pauper fuisse factiosus, aut turbulentus: habuisse huiusmodi furoris sui comites, quibus in insidiis dispositis, ipse tantum ad concitandam rixam se ostenderet: ceterum illos in præsidio haberet, si quid forte dives moliretur. Et hoc ipsa rei conditio monstrat: cum sit incredibile pauperem solum, & præterea nocte ad convitium diviti faciendum venisse. Quare enim die tacuit? quare in foro non maledixit? Apparet illum noctem expectasse, quo facilius comites absconderet. Paratum ergo ad rixam cum telo venisse. Divitem nihil tale suspicatum, magis insanire credentem, dedisse qui deducerent. Tunc vero pauperem quasi custodia excanduisse: accessisse & ceteros ejus conscios, qui dum eripere pauperem vellent, rixam concitaverint, & fortasse illum pauperem silentio occiderint, ne postea comprehensus pauper auctores facinoris cogere tur fateri. Et hoc dubie ponendum est: quæ constitutio in reliqua quoque causæ parte servanda est: nihil enim pro certo adfirmare debemus: sed tantum suspicionem iudicum à nobis alio prævertere. Ergo ab illis videri factam eadem, qui adhuc beneficio temporis latent: divitem super damna patrimonii, & tot servorum eadem reum esse.

CCCLXV.